



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De  
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDXXXIV.**

**VD18 90392167**

Cap. V. De Irregularitate.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41032**



seu ipso Officio & Beneficio: Suspendio verò privat tantum usu Officii, & fructibus Beneficii. Depositus tamen & degradatus non privantur potestate Ordinis, quem semper possunt validè, licet illicitè, exercere, si non requiratur jurisdictionem.

## CAPUT V.

### *De Irregularitate.*

Q. I. **Q**uid est Irregularitas?

Resp. **Q**uid est Irregularitas? Est impedimentum Canonicum, quo prohibetur susceptio Ordinum, & eorum exercitium. Sive est inhabilitas jure Canonico inducta, impediens susceptionem Ordinum, & susceptorum exercitium. Differt à Censura, quòd hæc sit pœna medicinalis ob culpam inflicta, & ad emendationem delinquentis ordinata. Irregularitas verò immediatè, & primariò statuta sit, non ad puniti-  
nem emendationemve delinquentis, sed ob honorem sacri ministerii, qui postulat, ut qui ad altaris Ministerium assumuntur, sint, & integri corpore, & animo puri: unde non necessariò supponit culpam, ut Censura. Fertur tamen aliquando per modum pœnæ vindicativæ, sed secundariò, quatenus ob delicti maculam aliquis censetur indignus sacro Ministerio, ob cujus reverentiam primariò infligitur.

Porro



Porro nomine Ordinum hic intelligitur etiam prima Tonsura, ut constat ex praxi Ecclesie, & communi Doctorum sensu: quia nempe est dispositio ad Ordines.

Circa irregularitatem notanda sunt sequentia.

1. Nulla Irregularitas est ab homine, sed omnis est a jure universalis, ac Papali, ex c. 18. *de sent. excom. in 6.* ubi Bonifac. VIII. declarat per celebrationem in Ecclesia polluta non fuisse contractam irregularitatem, *cum id*, inquit, *non sit expressum in jure*, scilicet communi: quia cum irregularitas sit lata primario per modum impedimenti canonici ob decentiam, ac reverentiam sacro altaris ministerio debitam, hæc impedimenta debent esse eadem in tota Ecclesia, sicuti debita altaris ministerio reverentia ac honor communis est toti Ecclesie.

2. Irregularitas contrahitur ante omnem sententiam, etiam ob defectum vel crimen occultum, & non tollitur per absolutionem, sed per dispensationem in hunc modum. *Dispensato tecum super irregularitate, quam incurristi ob talem causam. Et habilem reddo, Et restituo te executioni Ordinum & Officiorum tuorum, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.* Ita Rituale Romanum.

3. Potest quis pluribus Irregularitatibus etiam ejusdem speciei, detineri ob idem factum pluries commissum. Quare obtinens dispensationem irregularitatis cum expressione alicujus causæ, non censetur dispensatus in omnibus



nibus aliis irregularitatibus contractis ex alia causa non expressa, nisi Superior intendat generaliter dispensare; nam una irregularitas potest sine alia auferri, sicut potest sine illa induci.

4. Clericus irregularis licitè obire potest omnia munera sacra, quæ Laico competere possunt, ut in Ecclesia canere, celebranti ministrare, Sacramenta recipere, exceptâ Ordinatione.

5. Ignorantia invincibilis solius irregularitatis, etiam ex delicto, juxta communem, non excusat ab illa: quia irregularitas non est pœna medicinalis requirens contumaciam; sed est quædam macula & inhabilitas annexa à Jure non ad emendationem, sed ob reverentiam sacris Mysteriis debitam.

*Q. 2. Quinam sunt effectus Irregularitatis?*

*Resp. Duo. 1. Graviter illicita reddit susceptionem Ordinum, etiam primæ Tonsuræ, & eorum usum, non tamen invalida. Unde peccat mortaliter, qui in irregularitate recipit vel exercet Ordinem: quia violat præceptum Ecclesiæ in re gravi ad Religionem pertinente. Idem dic, si recipiat primam Tonsuram, quia est res gravis: nam constituit hominem in statu Clericali, & reddit capacem Beneficii ac Ordinis, ex c. ult. de tempor. Sc. in 6 Nullam tamen aliam pœnam ipso facto latam incurrit: quia nulla talis in jure contra irregularitatis violatores decernitur.*

Porro



Porrò non prohibetur usus jurisdictionis, quæ exerceri potest sine actu Ordinis. Hinc Parochus irregularis potest delegare ad Sacramenta suis Parochianis ministranda, quamvis ei non liceat illa ministrare. Validè tamen absolvet, cum non privetur potestate Ordinis nec jurisdictionis.

2. Inhabilem reddit ad Beneficium recipiendum, si sit totalis, ita ut collatio facta irregulari, saltem qui non potest omnia ejus munia obire, sit nulla, ex c. 2. de cler. pugnans & c. 18. de sent. excom, in 6. ubi dicitur esse ineligibilis. Quia Beneficium datur propter officium, & ad hoc ex se ordinatur; cum ergo irregularis sit inhabilis ad officia exercenda, est etiam inhabilis ad Beneficia recipienda. Quare qui in irregularitate Beneficium recipit, non potest illud retinere sine nova collatione, nec fructus ejus percipere. Idem dicitur de Dignitate & Prælatu regularium, ex c. 12. de pœnis. Clericus autem per irregularitatem non privatur Beneficio ante obtento, nec ejus fructibus, modò recitet horas & alia munia per alium exerceri curet, ex c. 5. nec clerici vel mon. debet tamen Beneficio privari. ibid. ex c. 10. de excess. Prælat. Imo sponte illud resignare, si dispensatio brevi tempore impetranda non sit, quia Beneficium retinere non debet, qui per se ipsum non potest officium ullum vel præcipuum præstare.

Q. 2. Quotuplex est Irregularitas?

Resp. Dividitur 1. in eam quæ est ex defectu

ctu



Etia, scilicet inculpabili; & in eam quæ est ex delicto. 2. In totalem, quæ omnium Ordinum susceptionem & usum impedit; & in partialem, quæ tantum aliquem actum Ordinis impedit.

Q. 4. Quenam sunt irregularitates ex defectu?

Resp. Sequentes. 1. Est ex defectu animi, five rationis, sciennæ, & fidei obfirmatæ, propter quem irregulares sunt 1. pueri, amentes, furiosi, energumeni, lunatici. 2. Illiterati, seu non habentes doctrinam necessariam, c. 1. dist. 36. 3. Neophyti, seu adulti ad fidem recens conversi à Paganismo aut Judaismo, c. 1. dist. 43.

2. Est ex defectu corporis, ex quo irregularis est, quicumque talem habet corporis defectum, deformitatem aut morbum, ut vel non possit absolutè, vel non nisi cum magna indecentia, vel periculo, vel spectantium horrore aut offensione exercere actus Ordinum, *ex tit. de corpore vitiatis, & tit. de Clerico egrot. & ex dist. 55.* in dubio autem num deformitas vel indecentia sit sufficiens, Episcopi est iudicare, c. 2. *de corpore vit.*

Hinc irregulares sunt 1. Cæcus, surdus, & enormiter claudus, ut si nequeat sine baculo vel pede ligneo ire ad altare. 2. Carens naso, manu, pollice vel indice. 3. Carens uno oculo cum notabili deformitate; secus si habens duos oculos, dextro non videat, vel etiam juxta multos sinistro, modò Canonem Missæ  
fine



sine indecenti faciei conversione legere possit. 4. Leprosus, deformiter gibbosus, aut facie maculatus. 5. Morbo caduco laborans qui tamen si ordinatus sit, & intra annum eo morbo non laborarit, potest susceptos Ordines exercere. Si verò rarò & sine clamore ac spuma labore, potest celebrare cum Sacerdote jejuno, qui deficiente ipso suppleat sacrificium.

Cæterùm corporis vitium occultum non inducit irregularitatem, nisi in tribus casibus. 1. Si quis membrum, vel partem membri absque justa causa sibi amputarit, c. 2. dist. 33. 2. Irregularis est, qui Eunuchus propriâ culpâ factus est. Secus, si à natura, vel sine sua culpa, c. 3. *de corpore vitiat.* 3. Hermaphroditus etiam occultus, quia est monstrosus. Imo si magis aut æque participet femineum sexum est jure divino incapax Ordinis & caracteris, quia est magis aut tam fœmina quam vir: fœmina autem non est capax caracteris Ordinis. Est etiam arcendus à Professione religionis ob periculum libidinis & scandali.

*Not.* Habens corporis defectum impediens susceptionem Sacerdotii, est irregularis ad reliquos Ordines inferiores & sacros, quia hi ad illud ordinantur. Sed si id accidat post susceptum Sacerdotium, fit tantùm irregularis quoad functiones ad quas est inhabilis, non ad alias: sic Sacerdos qui amisit pollicem vel indicem, vel oculos, fit irregularis quoad ce-



lebrationem Missæ, non quoad auditionem Confessionum.

3. Est ex defectu libertatis, ob quem excluduntur ab Ordinibus 1. Mancipia, nisi prius à dominis libertate donati fuerint. 2. Curiales, hoc est, qui ex officio negotiis sæcularibus implicantur, ut Procuratores, Advocati, Notarii, Milites, quamdiu tale Officium habent, *c. 4. nec Clerici vel mon.* 3. Qui obligantur ad ratiocinia reddenda, non debent ordinari nisi post deposita onera, & reddita ratiocinia, *ex c. un. de obligat. ad rat.*

4. Est ex defectu natalium, ob quem irregulares sunt omnes illegitimi, etiam occulti, sive spurii, sive naturales, *c. 1. de filiis Presb. & in 6 eod. tit.* Idque ob indecentiam moraliter in prole resultantem, & ob periculum incontinentiæ ex imitatione paterna. Excipe, nisi filii naturales legitimati sint per subsequens Matrimonium, *c. 6. qui filii sint legit.* aut nisi habeantur in jure pro legitimis, ut qui nati sunt ex Matrimonio invalido illo quidem, sed in facie Ecclesiæ bonâ fide, saltem ex parte unius contrahentis inito, quamvis postea impedimentum aliquod dirimens deregatur; nam legitimi habentur, *c. 14. eod. tit.*

Per solemnem Religionis Professionem deletur hæc irregularitas quoad Ordines suscipiendos, non tamen quoad Prælaturam, *c. 1. de filiis Presb.* Porrò filii naturales sunt ii, qui nati sunt ex personis solutis, inter quas tem-

pore



pore conceptionis vel nativitatis nullum erat impedimentum dirimens. Spurii sunt ii, qui nati sunt ex personis inter quas tempore conceptionis vel nativitatis erat impedimentum dirimens.

5. Ex defectu Sacramenti, seu significatio- nis, est Bigamia seu Matrimonii multiplicatio, etiam ante Baptismum contracta, ex c. 1. 2. & 3. *de Bigam.* Quippe Eucharistia est Sacra- mentum unionis Christi cum Ecclesia unica sponsa sua, quæ conjunctio una est, unus est enim sponsus & una sponsa. At Bigamus non repræsentat perfectè hanc unionem, cum car- nem suam in plures uxores diviserit. Hujus irregularitatis rationes sunt 1. Ob Sacramenti defectum c. 5. *de bigam.* 2. Quia nimis pro- pensus ad luxuriam præsumitur, qui pluries contraxit. 3. Quia Bigamus non potest faci- lè cæteros hortari ad continentiam, quam de eo difficilè præsumunt, c. 4. *dist. 26.*

Est autem triplex Bigamia, quæ inducit irre- gularitatem, scilicet vera, interpretativa, & similitudinaria. Bigamia vera est ea, quâ quis duas uxores legitimè & successivè duxit, & cum iis Matrimonium consummavit. Inter- pretativa est ea, quâ aliquis ex juris interpre- tatione habetur Bigamus, quamvis cum dua- bus non contraxerit. Hac bigamiâ laborat, qui viduam duxit aut mulierem ab altero cor- ruptam, & cum ea jam facta uxore sua Matri- monium consummavit, c. 9. *dist. 34.* Item



qui virginem quidem duxit, sed eam uxorem factam cognoscit post commissum ab ea adulterium. Non est tamen bigamus: nec irregularis, qui prius à se corruptam ducit, neque qui ante vel post Matrimonium, vel in ipso fornicatus est aut adulteratus, quia in nullo jure id expressum est. Bigamia similitudinaria est ea, quâ quis post solemnem Religionis Professionem, vel post sacrum Ordinem susceptum attentavit Matrimonium, etiam cum virgine, & copulam habuit, c. 4. *de Bigam.*

6. Ex defectu lenitatis, ex quo irregularitatem contrahit quilibet baptizatus qui voluntariè & proximè, licitè justè, concurrat ad hominis necem aut mutilationem, aut etiam accelerationem mortis effectu secuto. Censetur autem hic proximè concurrere, qui ex lege, officio, vel ex intentione, vel per actum de se ordinatum ad necem, aut mutilationem concurrat, sive in judicio, sive in bello offensivo. Quod ideo statuit Ecclesia, quia Sacerdos, qui personam Christi in sacro altari gerit, ejus mansuetudinem imitari debet: Christus autem mitissimus fuit, & neminem unquam læsit, sed mortem pro omnium salute subiit; suosque Ministros misit sicut oves in medio luporum, suâ patientiâ, & mansuetudine convertendorum in agnos. Et quia Sacerdos est minister Sacramenti unionis, & vivificationis.

Hinc 1. irregulares sunt iudex ferens sententiam mortis vel mutilationis, ejus Assessor;



## DE CENSURIS.

res; & omnes ministri justitiæ, ad eam aucto-  
ritate publicâ concurrentes ut Notarius, Scri-  
ba, recipiens & signans testimonium testium,  
vel sententiam judicis, Accusator, Testis, Ad-  
vocatus, & Procurator Regius vel accusatoris,  
(non Rei) satellites, executores sententiæ, ut  
tortor ejusque famulus actu concurrens; &  
fabricantes furcam ad aliquem in particulari  
suspendendum.

Sed non sunt irregulares, qui remotè tan-  
tùm ad sententiam sanguinis, vel ejus execu-  
tionem concurrunt, ut 1. Princeps condendo  
leges capitales, constituendo judices vel alios  
Ministros justitiæ, aut etiam præcipiendo ut  
super facto aliquo particulari inquisitio & ju-  
stitia fiat. 2. Episcopus Degradatum tradens  
Brachio Sæculari: sed debet juxta Canones  
pro eo intercedere, ut citra sanguinem punia-  
tur. 3. Confessarius hortans reum ad faten-  
dam veritatem, & ad obsequendum sententiæ  
justæ; vel generatim dicens puniendos esse  
malefactores. Censeretur tamen causa pro-  
xima mortis, ideóque irregulari, si quid face-  
ret aut diceret, ex quo mors alicujus in parti-  
culari sequeretur, aut acceleraretur, v. g. si  
diceret hunc reum esse morte plectendum.  
Possunt tamen interdum aliqui proximè co-  
operantes excusari ab irregularitate propter  
indeliberationem, aut semi-plenam adverten-  
tiam: quia tunc cooperatio non est sufficien-  
ter voluntaria ad actum humanum; ut si Con-  
fessor



fessor indeliberatè dicat, properemus, vel instiget jumentum quo reus vehitur: nam ad irregularitatem hanc contrahendam requiritur actus simpliciter humanus ac plenè deliberatus, ex *Clement. de Homic.* ibi: *Si furiosus aut infans, seu dormiens hominem mutilat, vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit.*

5. Irregulares non sunt, qui infirmum verberando, erigendo, jusculum ei præbendo, in alium locum transferendo, &c. mortem ejus præter intentionem accelerant, si id prævidere non poterant; in hoc enim nullus est defectus lenitatis.

Hinc 2. Fit irregularis, qui in bello offensivo licet justo quempiam manu propriâ occidit vel mutilat. Secus, si tantum cooperetur, v. g. custodiendo sarcinas, hortando in genere ad fortiter pugnandum, &c. Quòd si bellum sit injustum, irregulares sunt etiam ii, qui alios suâ præsentia audaciores efficiunt. Item in illo merè defensivo justo, & necessario ad defensionem Reip. juxta multos irregularitas contrahitur, ex c. 24. *de homic.* sed eam non incurrit, qui injustum in vasorem pro defensione vitæ suæ occidit aut mutilat, cum moderamine inculpatæ tutelæ, *Clement de homic.* item nec Clericus accusans alium de injuria sibi in se vel in suis rebus illata, fit irregularis, licet reus morte plectendus sit, modò expressè protestetur, se nullam capitis aut mutilationis poenam intendere, c. 2. *de Homic. in 6.* alioquin, ut  
ibi



ibi dicitur, *Si Clerici de suis malefactoribus taliter conqueri non auderent, daretur plerisque materia trucidandi eosdem, & ipsorum bonaliberè deprecandi.* Secùs, si occidat vel mutilet in defensionem vitæ alterius innocentis, etiam Patris, cum debita moderatione: nam quamvis non peccet, incurrit irregularitatem ex defectu lenitatis; quia quoad hoc Clemens V. juri antiquo non derogavit: nam eum solum eximit ab irregularitate, qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit vel mutilat in vasorem. Stat autem Regula generalis pro iis quæ non excipiuntur.

7. Est ex defectu bonæ famæ, seu ex infamia, Infames enim sunt irregulares, c. *Infames.* 6. q. 1.

Duplex autem est infamia, juris scilicet & facti. Infamia juris est ea, quæ imponitur Jure seu Canonico seu Civili, ex cit. can. Infamia facti est publica notitia, seu opinio commissi criminis per quod fama hominis spectatis personæ qualitate & statu apud prudentes graviter læditur; quamvis crimen illud per leges non notetur infamiâ, sic infames sunt Clerici ebriosi.

Infamia juris iterum duplex est, alia quæ per legem ipso facto inducitur; alia quæ oritur ex sententia, quâ Judex damnat ad pœnam infamantem valdè gravem, ut virgis cadi, ignominiosè traduci, ad triremes vel exilium damnari.

§ s. 4.

Porro.



Porrò irregularitas ex infamia facti tollitur absque dispensatione per publicam, & constantem vitæ emendationem, quæ prioris vitæ maculas non solum coram Deo, sed etiam in opinione hominum absterferit, ex c. 54. *de testib.* irregularitas verò ex infamia ipso jure vel per judicis sententiam contracta ob crimen notorium, non tollitur nisi per dispensationem.

Q 5. *Quenam sunt Irregularitates ex delicto?*

*Resp.* Sequentes. 1. Est ex iteratione Baptismi, ob quam sunt irregulares scienter rebaptizatus, rebaptizans, qui rebaptizanti ministrat; item qui extraneceffitatem permittit se ab hæretico baptizari.

2. Ex illicita susceptione, vel usu Ordinis, quam incurrunt. 1. Qui furtivè suscipit Ordines, hoc est, qui non examinatus, vel non admissus, vel alio pro se ad subeundum examen submisso, dolosè se ingerit inter ordinandos. ex Tit. *de eo qui fert.* 2. Qui post contractum Matrimonium licet non consummatum ordinatur invitâ uxore, *extrav. antiquæ. devot.* 3. Qui in excommunicatione majore suscipit Ordinem sacrum, c. 32 *de sent excom.* 4. Qui exercet actum proprium Ordinis quem non habet, ex c. 1. & 2. *de Cler. non ordin.* ut si Clericus in Minoribus constitutus canat Epistolam cum manipulo, secus, si sine manipulo;



lo; quia sic interdum canitur à Laicis. 5. Qui ligatus excommunicatione majore etiam occulta, aut suspensione, aut interdicto exercet actum proprium Ordinis sacri quem habet, ex c. 1. & c. 20. *de sent. excom. in 6.* idem de exercitio Ordinum minorum docet Navar. dicens esse communem, & Fagnan. id probat in c. *Si quis Presbyter.* 6. Qui celebrat in loco interdicto, c. 18. *de sent. excom. in 6.*

3. Est ex homicidio & mutilatione culpabiliter & injustè commissis, sive physicè, moraliter, aut mandato, consilio, precibus, vel auxilio, favore, &c. sive etiam negativâ cooperatione, non impediendo cum ex Justitia quis tenetur impedire. ex *dist. 50.* & ex *Tit. de Homicid. & de sent. excom.*

Hæc contrahitur 1. Ob homicidium voluntarium in sensu Canonum, quod scilicet est in se directè volitum, vel in causa ita propinqua, ut moraliter impossibile sit, eam velle & non velle homicidium. Quòd si plures communi consilio invadant, omnes sunt irregulares, quamvis unicus percusserit.

2. Ob homicidium casuale culpabile, quod contingit, cum quis nec necem nec mutilationem intendit, nec secuturam prævidit; sed vel prævidere potuit, vel debitam diligentiam non adhibuit ne accideret, vel dedit operam rei illicitæ & periculosa, ex quâ mors præter intentionem secuta est, quantamcumque diligenti-

gentiam



gentiam aliunde adhibuerit, ex Tit. *de Homic. volunt. vel casual.*

Secundum varios non contrahitur ob homicidium secutum ex re illicita, sed nullatenus periculosa, modò debita diligentia adhibita sit; eò quòd tunc illud nullo modo sit voluntarium, nequidem in causa, utpote nullum ejus periculum probabile deferente. Alii tamen censent contrahi ob mortem alterius ex qualibet actione illicita secutam, probantque ex variis Canonibus. Quare tutius est petere dispensationem.

Porro constat nullam contrahi irregularitatem, si homicidium sit omnino & absolute casuale, quando nempe casu præter intentionem sequitur ex actione licita; modò debita diligentia, ne eveniret, adhibita sit: quia ubi nulla in homicidio casuali præcessit culpa, nulla sequitur irregularitas, ex c. 9. *de Homic. & aliis.* Secus, si debita diligentia adhibita non fuerit, ex c. 12. eod. Tit.

Idem est de mutilatione voluntaria & casuali ac de homicidio, cui in Jure æquiparatur, ex c. 4. *de raptor.* & c. ult. *de Homic. in 6. & Clement.* eod. Tit. Est autem mutilatio abscissio membri vivi. Membrum verò ex communi est pars corporis, quæ proprium habet Officium distinctum ab aliis partibus; ut manus habet Officium palpandi, oculus videndi, pes gradiendi, &c. non autem dentes, capilli, &c. de digito negant multi, affirmat Layman. & meri-



merito: qui enim partem cujuslibet digiti sibi culpabiliter abscindit, fit irregularis, c. 6. dist. 55.

4. Ex Apostasia à fide, vel hæresi, etiam externa etsi occulta, ut docent Navar. Suarez, Sanchez, Bonac. & alii communiter apud illos: quia irregularitas crimini ipsi hæreseos & non solum infamiae inflicta est. Nec jura distinguunt inter hæresim publicam & occultam, ut cap. 2. de hæret. in 6. & c. Saluberrimum. I. q. 7.

5. Ex gravibus criminibus notoriis, quæ à Jure annexam habent infamiam: qualia sunt Simonia, crimen Læsæ Majestatis, adulterium, incestus, Sodomia, concubinatus, perjurium in judicio, maleficium, &c. item ex Trident. raptus mulieris, vel illius favor, nec non duellum.

Sed hæc irregularitas non contrahitur si crimen sit occultum, ex c. 4. & ult. de temp. ordin. nam est immediatè ex infamia, radicaliter verò ex delicto. Et quamdiu crimen est occultum, delinquens non est infamis, cum integram famam retineat apud homines, infamia enim est publica opinio prava de vita & moribus alicujus.

Porro dicuntur Hæretici eorumque Filii ad fidem conversi non haberi irregulares in Gallia, nec in Germania, ubi Hæretici tolerantur.

Not. Ad contrahendam irregularitatem ex dilecto



delicto requiritur culpa mortalis, & exterius consummata: quia irregularitas est poena gravissima, de se perpetua, & difficile solubilis, ideoque non contrahitur nisi propter culpam gravem ac mortalem: alioqui non esset delicto commensurata.

*Q. 6. An in dubio aliquis debet se gerere pro Irregulari?*

*Resp. I.* In dubio Juris, quando scilicet lex est ita obscura, ut de ejus sensu peritiores inter se dissideant, vel quando dubitatur an hic casus contineatur sub lege inducente irregularitatem, docent Canonistæ neminem censendum esse irregularem, ex cap. 18. *de sent. excom. in 6.* ubi ad irregularitatem contrahendam requiritur, ut id in Jure expressum sit. At cum Jus dubium est, tunc irregularitas non est satis expressa in Jure.

*Resp. II.* In quolibet probabili dubio facti, cum nempe quis dubitat, num posuerit actum cui irregularitas est certò annexa, tenetur se gerere pro irregulari, ex cap. 12. *de Homic.* ubi statuitur dubitantem de homicidio à se perpetrato teneri abstinere ab usu Ordinis, *cum in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem.* Quæ ratio universalis est, & æquè valet pro dubio facti in qualibet materia. Ita Abbas, Vasquez, Azor, Valent. Reginald. &c. Et verò alio-



alioqui se exponeret periculo faciendi actum prohibitum.

Hinc qui fecit aliquid illicitum, ex quo dubitat, an mors alterius secuta sit, censendus est irregularis; nam est dubium facti.

Q. 7. *Quinam dispensare possunt in Irregularitate?*

*Resp.* Episcopus potest cum suis subditis dispensare in omni Irregularitate, & Suspensione proveniente ex delicto occulto, nec ad forum contentiosum deducto, exceptâ eâ, quæ oritur ex homicidio voluntario, Trident. sess. 24. c. 6. Item cum illegitimo ad Ordines Minores & Beneficium simplex, non requirens Majorem Ordinem, cap. 1. *de Fil. Presb. in 6.* & in Bigamia similitudinaria, cap. 4. *de Cleric. conjug.*

In aliis omnibus solus Papa dispensare potest, vel is qui ab eo privilegium accepit.

Nostre Societatis Præposito Generali, & aliis Superioribus respectivè concessum est à Paulo III. privilegium dispensandi cum nostris in quavis irregularitate, præterquam homicidii voluntarii, & mutilationis membrorum, & Bigamiæ.

Porro hoc ipso quòd conceditur facultas absolvendi à Censuris reservatis, non censetur etiam concedi pro Irregularitate, cum irregularitas non sit censura, & difficilior sit irregularita-



ritatum, quàm censurarum relaxatio. Et secundum Romanæ Curix stylum nunquam censetur concessa facultas dispensandi in irregularitate, nisi fiat illius expressa mentio: *S. Carolus. in Instruct.*

*Not.* Communis sententia docet, quemlibet Sacerdotem approbatum; seclusâ prohibitionem posse absolvere à peccatis irregularitatem annexam habentibus, si illa non sint reservata: nam Irregularitas adjuncta non impedit effectum absolutionis, cum non pugnet cum statu gratiæ; neque arcet à perceptione Sacramentorum, excepto Ordine; cum sit mera inhabilitas, solum impediens Ordinum susceptionem aut eorum exercitium. Unde potest quis absolvi à peccatis, remanente irregularitate eis annexa: & reipsa in Jubilæis hæc non relaxatur iis qui, virtute illorum, à peccatis, & censuris absolvuntur.

**FINIS.**



**INDEX**